

rem. Duæ res sunt: Aut ignoscitur tibi, aut non ignoscitur: quid horum tibi futurum sit, nescio. Ergo dimitte incertum, tene certum.



* *Alia*
LXXV.
quæ autem
250. erat,
nunc 95.

EPISTOLA CCL.*

Augustinus senex Auxilio episcopo juveni, ut aut anathematis sententiam rescindat, aut doceat quibus adductus causis, putet ob unius peccatum totam familiam excommunicari posse.

Domino dilectissimo & venerabili fratri & consecratori AUXILIO, AUGUSTINUS in Domino salutem.

^a 1. **V**ir spectabilis filius noster ^a Classicianus, graviter apud me litteris questus est, quod sit anathematis injuriam à tua sanctitate peressus: narrans quod venerit ad ecclesiam apparitione paucorum suæ potestati congrua comitatus, & egerit tecum, ne contra salutem suam faveres eis, qui per ^b Evangelium pejerando, adiutorium violandæ fidei in ipsa fidei domo requirebant. Quos tamen considerantes quid mali fecerint, non inde violenter abductos, sed sponte dicit egressos, atque hinc venerationem tuam ita sibi succen-

^{24. q. 3.}
si habes.

^a Apud Anselmum Lucensem, qui hanc epistolam totam inseruit suæ collectioni, lib. 12. c. 67. legitur, *Comes Classicianus.*

^b Anselmus Luc. *per evangelia.*

censuisse, ut ecclesiasticorum confectione gestorum cum omni domo sua anathematis sententia feriretur. Quibus litteris ejus lectis, non mediocriter æstuans, cogitationibus magna cordis tempestate fluctuantibus, apud caritatem tuam tacere non potui; ut si habes de hac re sententiam, certis rationibus vel Scripturarum testimoniis exploratam, nos quoque docere digneris, quomodo rectè anathemetur pro patris peccato filius, aut pro mariti uxor, aut pro Domini servus, aut quisquam in domo etiam nondum natus, si eodem tempore, quo universa domus est anathemate obligata, nascatur; nec ei possit per lavacrum regenerationis in mortis periculo subveniri. Neque enim hæc corporalis est poena, quæ legimus quosdam contemtores Dei cum suis omnibus, qui ejusdem impietatis participes non fuerunt, pariter interfectos. Tunc quidem ad terrorem viventium mortalia corpora perimebantur, quandoque utique moritura. Spiritalis autem poena, qua fit quod scriptum est: *Quæ ligaveris in terra, erunt ligata & in celo*; animas obligat, de quibus dictum est: *Anima patris mea est, & anima filii mea est. Anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* *Matth. 16. 19.*
Ezech. 18. 4.

2. Audisti fortasse aliquos magni nominis sacerdotes cum domo sua quempiam anathemasse peccantium? Sed fortè si essent interrogati, reperirentur idonei reddere indagationem. Ego autem, quoniam si quis ex me quærat, utrum rectè fiat, quid ei respondeam non invenio; numquam hoc facere ausum, cum de quorundam facinoribus immaniter adversus Ecclesiam perpetratis, gravissimè permoverer. Sed si tibi fortè quoniam

justè fiat, Dominus revelavit, nequaquam juvenilem ætatem tuam, & honoris ecclesiastici rudimenta contemno. En adsum; senex à juvene, & episcopus tot annorum à collega necdum anniculo paratus sum discere, quomodo vel Deo vel hominibus justam possumus reddere rationem, si animas innocentes pro scelere alieno, a ex quo non trahunt sicut ex Adam, in quo omnes peccaverunt, originale peccatum, spiritali supplicio puniamus. Etenim Classiciani filius, etsi traxit ex patre primi hominis culpam sacro fonte baptismatis expiandam; tamen quidquid, postquam genuit eum, peccati pater ejus admisit, ubi particeps ipse non fuit, ad eum non pertinere quis ambigit? Quid dicam de conjugē? Quid de tot animabus in universa familia? Unde si una anima per istam severitatem, qua tota domus ista anathemata est, sine baptismo de corpore exeundo perierit, innumerabilium mors corporum, si de ecclesia homines innocentes violenter abstrahantur & interficiantur, huic damno non potest comparari. Si ergo de hac re potes reddere rationem, utinam & nobis rescribendo præstes, ut possimus & nos: si autem non potes, quid tibi est inconsulta commotione animi facere, unde si fueris interrogatus, rectam responsionem non vales invenire?

3. Hæc autem dixi, etiam si filius noster Classicianus aliquid admisit, quod tibi anathemate plectendum justissimè videretur. Ceterum si veras ad me litteras misit, nec solus in domo sua debuit istâ sententiâ coerceri. Sed hinc cum tua sanctitate nihil ago, nisi

tan-

a Anselm. quod non trahunt ex Adam &c.

tantum peto, ignoscas petenti veniam, si agnoverit culpam: si autem nihil eum peccasse prudenter agnoscis, quoniam ipse in domo fidei justius flagitabat fidem debere servari, ne ibi frangeretur ubi docetur; fac quod sanctum virum facere oportet, ut si tibi contigit tamquam homini, quod utique homo Dei dicit in Psalmo: *Turbatus est præ ira oculus meus*; exclames ad Dominum: *Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum*; ut porrigat tibi dexteram suam, & comprimat iracundiam tuam, & tranquillet mentem tuam ad videndam faciendamque justitiam. Sicut enim scriptum est: *Iracundia viri justitiam Dei non operatur*. Nec arbitreris ideo nobis non posse subrepere injustam commotionem, quia episcopi sumus. Sed potius cogitemus inter laqueos tentationum nos periculosissimè vivere, quia homines sumus. Aufer itaque gesta ecclesiastica, quæ perturbatior fortasse fecisti, & redeat inter vos caritas, quam cum illo & a catechumenus habuisti. Aufer litem, a & revoca pacem, ne tibi pereat homo amicus, & de vobis gaudeat diabolus inimicus. Potens est autem misericordia Dei nostri, quæ & me exaudiat orantem, ne mea tristitia de vobis augeatur, sed potius quæ est exorta sanetur, & b erigat per gratiam suam, & lætificet juventutem tuam non contemnentem senectutem meam. Vale.

a Apud Anselm. Luc. catechumenis.

b Anselm. & te rogat.

Psal. 6. 8.

Ibidem 3.

Jac. I. 20.



FRAGMENTUM

Quod in veteri codice Ecclesie trevensis continente collectiones Cresconii & Ferrandi repertum est, cum titulo hinc affixo.

EX EPISTOLA AD CLASSICIANUM
qui excommunicatus fuerat.

Ego propter eos, qui pro peccato unius animæ, totam domum ejus, id est, plurimas animas anathemate ligant, maximè ne ibi quisquam sine baptismo de corpore abscedat; & utrùm non etiam de Ecclesia pellendi sunt, qui eò confugiunt quò fidem fidejussoribus frangant, adjuvante Domino, & in concilio nostro agere cupio, & si opus fuerit ad sedem apostolicam scribere; ut in his causis quid sequi debeamus, concordiam omnium auctoritate constituatur, atque firmetur. * Illud planè non temere dixerim, quòd si quisquam fidelium fuerit anathematus injustè, ei potius oberit qui faciet, quàm ei qui hanc patietur injuriam. Spiritus enim sanctus habitans in sanctis, per quem quisque ligatur aut solvitur, immeritam nulli pœnam ingerit: per eum quippe diffunditur caritas in cordibus nostris, quæ non agit perperam.

* Habent
Ansel. Luc.
lib. 12. c.
66. & Gra-
rian. caus.
II. q. 3.
c. 87.

EPIS-



EPISTOLA XXI.*

Augustinus in presbyterum hipponensem ordinatus, præsertim ad dispensandum verbum Dei, secumque reputans, quàm difficile sit sacerdotem pium agere, obsecrat Valerium ut patiatur ipsum in secessu precibus & studio hoc agere, ut sit idoneus imposito muneri.

* Aliàs
CXLVIII.
quæ autem
21. erat,
nunc 234.

Domino beatissimo & venerabili, in conspectu Domini sincera caritate carissimo patri VALERIO episcopo, AUGUSTINUS presbyter in Domino salutem.

I. ANTE omnia peto, ut cogitet religiosa prudentia tua, nihil esse in hac vita, & maximè hoc tempore * facilius & lætius, & hominibus acceptabilius episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio, si perfunctoriè atque adulatoriè res agatur: sed nihil apud Deum miserius, & tristius, & damnabilius. Item nihil esse in hac vita, & maximè hoc tempore difficilium, laboriosius, periculosius episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio: sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur quo noster imperator jubet. Quis autem iste sit modus, nec à pueritia, nec ab adolescentia mea didici: & eo tempore quo discere cœperam, vis mihi facta est, merito peccatorum meorum (nam quid aliud existimem nescio) ut secundus locus gubernaculorum mihi traderetur, qui remum tenere non noveram.

Scripta
ann. incun-
te 391.
* Fortè
felicitis.

Episco-
pi officium
quàm pe-
riculosum.

Sed